



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Josephus Sponsus B. M. V. 19. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

quâ, arcanâ repulsa. Dixisses neque supplici novercæ jam manes fidere. *Ex Surio.*

Plantare pacem radicitus, Dei est: evellere penitus inimici. Nam sicut amor Fraternitatis ex Deo est; ita odium ex Diabolo: quapropter damnanda sunt odia, quoniam scriptum est, qui odit fratrem suum, homicida est. S. Pet. Chrys. serm. 53.

S. JOSEPHUS SPONSUS B. M. V.

19. Martii.

Compendium laudum JOSEPHI dedero, si convixisse JESV & MARIAE dixerim; huic Sponsum integerimum, illi nutritorem sedulum. Arcanorum ergo conscius omnium, multa gavisus est gaudia, multa dolenda doluit. Utraq; VII. fuisse binis è D. Francisci coetu ipse voluit manifestum. Et gaudio quidem primus omnium delinavit animum nuntius, quo non nisi DEO plenam MARIAM intellexerat: tum deinde aures recrearunt ad cunas magni infantis choraulæ nobiles; sed longè demulxit suavius nomen, quod ipse indidit, dulcissimum. Jam vaticinia Simeonis, quæ Servatorem puerum; dejecta in Ægypto simulachra Dæmonum, quæ DEVUM loquebantur, & Angelus, qui in patriam exules revocabat, aliis atque aliis gaudiis cumularunt. Illud demum delitius inundavit, cum quod charissimum habuit pignus, amissum reperit. Et hæc gaudiorum materia; illa dolorum fuere: tristis primò, quem à VIRGINE parabat, secessus; tum pauperes cunæ, & prima, quæ imbribus prælusit, sanguinis pluvia; mox gladius Simeonis, cor Sponsæ non nisi per præcordia Sponsi petiturus; post fuga præpropera & Archelai tyrannis; demum amissa in uno Puerο omnia bona;

bona; hæc inquam, tot mœroris argumenta, quorū
antè lœtitiæ, dubiam utrinque victoriam fecere.
Ego, si fas sit, octavum & dolorem & gaudium
addidero, morte inter JESV ac MARIAE amplexus.
Quid enim acerbius, quam hos ex oculis dimi-
tere? quid dulcius, quam ab his oculos claudi?

Ex lib. 3. Carthag.

*Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis ob-
temperare: Erubesce superbe cinis: Deus se humiliat, &
tu te exaltas; Deus se hominibus subdit, & tu dominari
gestiens hominibes, tuo te præponis Auctori. S.Bern.
hom. i.super Missus.*

S. PANCHARIUS M. 19. Martii.

Nemo, ô juventus! nemo rectè duobus Domi-
nis unus servit. Nempe duos nec amabis, nec
amaberis à duobus. Si fidem Christo non habes,
ah saltem tibi habe, juventutis habe Principi PAN-
CHARIO. Quid non huic nomen suum promisit?
unus Diocletiani furor, qui patriam infestabat,
terrebat. Ergo Romam itur. Ah PANCHARI se-
queris, non fugis hostem! Aula tamen accipit, opes
stipant, honores aulæ Præfectum salutant, ipse
Diocletianus amat. Fidem juro PANCHARI, odit
tyrannus qui amat. Eheu! vates fui, blanditiis ex-
pugnatur cereus animus, & dum fidus regi laborat
esse, cælo fit perfidus, Christum, prô! cum Jove
mutat. Ite nunc aulæ mancipia, ite Principes, fi-
dem aulæ habete utrique, quæ fidem frangit DEO.
Nunquid rectè iterum illud clamabo: *Exeat aulâ,*
qui pius esse cupit? Exit ecce PANCHARIVS aulâ, à
matre & sorore Christianis castigatus, & pius est
iterum, iterum Christum amplectitur, Jovemque
damnat, spectante & audiente Diocletiano. Furit

G 3

hic